



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhsii, 1687

De Sacris oleis, & alijs requisitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36005

aqua ritè consecratur quem ritum quantum commodè fieri potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certè non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesijs.

Ac licet, urgente necessitate, ubiq; baptizare nihil impedit, tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons baptismalis.

Itaque, necessitate exceptâ, in privatis locis nemo baptizari debet; nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum Filij, id ipsis ita depositis; dummodo id fiat in eorum capellis seu oratorijs, & in Aqua baptismali de more benedicta.

Baptisterium sit decenti loco & forma, materiaq; solidâ, & que aquam benè contineat, decenter ornatum, & cancellis circumseptum, serâ & clave munitum, atq; ita obseratum, ut pulvis vel alias sordes intro non penetrant in eoque, ubi commodè fieri poterit, depingatur Imago S. Joannis Christum baptizantis.

De Sacris Oleis & alijs requisitis.

SAcrum Chrisma & Sanctum Oleum, quod & catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo benedicta feria quinta in Cœna Domini. Curabit Parochus ut ea suo tempore quamprimum habeat, & tunc vetera in Ecclesia comburat.

Veteribus oleis nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur; ac si deficere videantur, & Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possint, aliud Oleum de Olivi, non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate.

Chrisma & Oleum Sacrum sint in suis vasculis argenteis aut stanneis bene obturatis: quæ vascula sint inter se distincta, & propriam unumquodq; inscriptionem habeat, majusculis literis, ne error committatur.

Ad usum vero quotidianum minoribus ex argento vel stanno uti peterit, quæ tamen etiam sint literis bene distincta, ne erretur; & in ea ex majoribus vasculis Chrismatis & Olei, quod sufficiat, infundatur, atq; ut effusionis periculum caveatur, commodum erit gossypium imponere, in quod, cum Sacerdos vult inungere, pollex immittatur.

Hæc vascula in loco proprio honesto ac mundo, distincto à Tabernaculo sub clave & tutâ custodia decenter asserventur, ne ab alio nisi à Sacerdote temerè tangantur, aut eis Sacrilegè quisquam abuti possit.

Parochus, quo ad fieri potest, curet ne hæc Olea per Laicos deferantur: Caveat item ne de ijs quidquam ulli unquam tribuat, cuiusvis rei prætextu.

Sal quod in Os baptizandi immittendum est, sit benedictum sua peculiarib[us] benedictione, quæ infra. Neq; utatur sale exorcizato ad aquam benedictam. Sit bene confractum, attritum, siccum, mundum. Nemini reddatur, sed ad Baptizandos servetur, vel in Sacratum aut Baptisterium fundatur.

Cum igitur Sacramentum hoc administrandum est, in promptu esse debent 1. Vascula Sacri Olei Chrismatis & Catechumenorum. 2. Vasculum cum sale benedicendo, vel benedicto. 3. Vas pro manuum lotione post Baptismum. 4. Alba vestis in modum pallioli, vel linteolum candidum capitii infantis imponendum. 5. Aliquæ guttulae Vini Ori infantis imponendæ. 6. Cereus ardens.

Omnibus igitur opportunè præparatis Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem lotis manibus, superpelliceo & Stola indutus accedat Clericum pariter superpelliceo indutum, si potest secum adhibeat, qui ministret.

Ita paratus accedat ad limen Ecclesiæ, ubi exspectant, qui infantem detulerunt.

Si non constet, interroget, an sit suæ Parochiæ, masculus an foemina, an sit domi baptizatus, à quo, quam ritè, qui sint compatres qui infantem teneant, pro eoq; respondeant, quos piè ac decenter assistere, ac prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogations respondere, ad moneat.

Et quoniam ijs, qui baptizantur, tanquam Dei Filijs in Christo regenerandis, & in Iesu militiam ascribendis nomen imponitur, curet, ne obscenæ, fabulosa aut ridicula, Deorum inanum, vel Ethnicorum nomina fidelibus imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, & Patrocinij protegantur.